



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ  
Principia Et Usum**

De iudiciis criminalibus

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii [u.a.], 1766**

Titulus XXX. De Crimine Falsi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68185)

quo ibi agitur : nam ponitur aliquis occisus, & non apparere, cujus ictu occisus sit : omnes igitur teneri judicantur, & si cum uno agatur, ceteri non liberantur, quia hic non agitur de refarcitione damni, sed de infligenda pœna.

## TITULUS XXX. DE CRIMINE FALSI.

*Conf. Lib. V. Decretal. Tit. XX. In Extravag. Joannis XXII. Tit. X. Inter Commun. Lib. V. Tit. 6.*

§. 391.

*Falsum est veritatis immutatio: ad constituendum autem Crimen falsitatis immutatio. facta in fraudem tertii.* **F**ALSUM est veritatis immutatio: ad constituendum autem Crimen falsitatis immutatio. facta in fraudem tertii. Si imposturæ genus per Leges speciatim vel generatim non notatum accidat, *Stellionatus* dicitur. Hujus sæpe reos se faciunt circumforanei illi, qui simplici populo varias medicinas vendunt (3.), arcanarum virtutum notitiam jactitant, vel etiam circa res sacras figmenta

---

33.) De hoc stellionatus crimine videri potest BÖHMERUS Senior Vol. 2. part. 2. Resp. 1107.

menta spargunt. Diversa hæc nomina hodie adhuc servantur: reipsa autem Stellionatus & Crimen Falsi parum differunt. Innumeris modis Falsum committitur, variatque pro varietate damni per illud dati; nam ex sola ratione illati damni ad Judicium criminale pertinet. Non attenditur autem damnum, quod quis dare intendit; nec lucrum, quod falsarius percepit: quamvis etiam luere oportet falsi noxii attentatum, cujus effectus per accidens fuit impeditus. Falsarius igitur potest esse, qui non est reus Criminis Falsi, uti doli incapax, agens ex ignorantia vel errore juris. Si absque dolo intercedat culpa, quasi falsum committitur: huc refertur, si quis sibi ipsi Legatum adseripsit (54.): aut si Judex per ignorantiam & errorem Constitutiones Principum negligit (55.).

§. 392. Quibusdam Falsi speciebus *Ejus* pœcertæ pœnæ constituuntur in Jure, *na.* quas infra annotabimus: universim

H h 3 au-

54.) L. 1. ff. de his quæ pro non script' hab. L. 1. §. 7. & L. 6. ff. de Leg. Corn. de fals.

55.) Princ. Inst. de oblig. quæ quasi ex delict. nasc.

autem ex Lege Cornelia Poena falsi, vel quasi falsi deportatio est, & omnium bonorum publicatio 56.). Hodie plerumque poena Falsi est arbitraria, a Judice determinanda juxta falsarii malitiam, & damni qualitatem ac quantitatem: ita ut reo inuratur infamia, infligatur poena corporalis, aut etiam capitalis. Clerici plectuntur multa pecuniaria, carcere, privatione beneficii, jejuniis in pane & aqua &c.

**Commit-** §. 393. Cum Crimen falsi committitur di- possit dicto, scripto, facto vel usu; **Et,** scri- de singulis aliqua exempla dabimus. **pto,** fa- Circa falsum dicto commissum, cer- **to,** vel tum est, Leges non omnem verita- **usu.** tis immutationem, seu mendacium poenis persequi 57.): nam qui mentitur, proprie in sensu legum non semper committit falsum. Sic qui corrumpit ratiocinia, crimen falsi committit: qui autem falso dicit, computationem continere majorem minoremve quantitatem, quam revera con-

56.) L. 1. §. fin. ff. de Leg. Cornel. de fals.  
57.) Inter contrahentes id patet ex L. 22. ff. locati. & L. 16. §. 4. ff. de Minorib. juxta quas licet contrahentibus se circumvenire.

continet, mendacium quidem dicit, sed falsum non committit, cum nulla fiat veritatis mutatio, quæ statim, facta ratione calculi, apparet 58.). Si quis tamen legitime interrogatus, mendacium dicit in fraudem alterius, merito pœnam sustinet. Si cum esset quis ex semisse heres, dixerit se ex quadrante, mendacii hanc pœnam feret, quod in solidum convenitur (9.). Vicissim si quis cum heres non esset, interrogatus responderit, ex parte heredem esse: sic convenietur, atque si ex ea parte heres esset: fides enim ei contra se habebitur 60.).

§. 394. Licet mendacium evitet pœnas fori judicialis, per hoc tamen non fit licitum. Eadem autem ratione illicitum est falsiloquium, ex mente recentiorum Autorum distinctum a mendacio in eo, quod interrogans non habeat jus exquirendi a me veritatem, nec aliunde inferatur alicui damnum. Si tamen deliberate fiat contra mentem loquentis, semper erit illicitum: nam facultas loquendi a natura homini indita est, ad communi-

Falsilo-  
quium  
non est  
licitum.

H h 4

muni-

58.) L. 13. & 23. ff. de Leg. Corn. de fals.

59.) L. II. §. 3. ff. de Interrogat.

60.) Ibià §. 1.

municanda mutuo animi sensa: pro-  
in non possumus ea uti ad finem di-  
recte contrarium, cum per talem  
communicationem obtineatur felici-  
tas humano generi propria ac neces-  
saria. Falstas autem est contra ve-  
racitatem, per quam debet resplen-  
dere perfectio Divina in nostris actio-  
nibus, etiamsi nullum inferatur dam-  
num; nam si damnum simul accede-  
ret, esset contra Justitiam, nec om-  
nino proprium soli sermone. Veritas  
potest occultari per amphibologiam,  
quia permittitur tantum, non autem  
positive intenditur error alterius; fal-  
siloquium autem positive intendit in-  
generare errorem alteri; unde æqui-  
vocatio debet esse sensibilis, falsilo-  
quium autem non est sensibile. Non  
igitur sufficienter excusatur falsilo-  
quium per hoc, quod fiat absque  
damno alterius: fit enim ad ingeren-  
dum errorem alteri; sufficiens autem  
damnum est, alterius intellectum stu-  
diose inducere in errorem, etiamsi  
aliud damnum exinde non sequatur.  
Mendacium in suo formali conceptu  
est locutio contra mentem delibera-  
ta; per accidens autem est, quod a-  
liud

liud damnum non sequatur: in isto formali conceptu falsiloquium convenit cum mendacio; esset autem magnum societatis humanæ malum, si liceret alterum in errorem intellectus inducere, ita ut nemo unquam posset esse securus, an non fallatur: sicuti nunquam essemus certi de rebus fidei, si DEUS posset falsum dicere. Unde non est licitum in Judicio uti falsis instrumentis, etsi hæc respondeant veris instrumentis, forte non amplius existentibus.

§. 395. Cum ex una parte prudentia & charitas sæpe prohibeat revelare veritatem, ex altera parte contra materiam loqui nunquam sit licitum; *liter an invenerunt aliqui alium modum testandi innocenter veritatem, ubi interrogans nullum habet jus interrogandi, & interrogatus habet obligationem non revelandi veritatem, prout præter alios diversos casus potest contingere, si quis interrogetur de notitia acquisita in Confessione Sacramentali. Dicunt isti, posse aliqua verba E. G. Non, abstrahi a sua consuetâ significatione, & sumi materialiter; perinde ac si nihil significarent,*

H h 5 dum-

dummodo proferantur, non ex animo significandi falsum, sed ex animo relinquendi interrogantem in pristina ambiguitate, quippe nescium, num verba proferantur significative, an materialiter 61). Doctrina hæc acriter fuit impugnata, & rursus vindicata, cum sæpe satisfacere non censetur illud FIRMI Episcopi a S. Augustino laudatum: *Nec prodam, nec mentiar* 62.). Relinquamus hæc Theologis,

*Falsitatis dicto commissæ specimina.* §. 396. Varia falsitatis etiam verbo commissæ specimina referuntur, Legibus Civilibus & Ecclesiasticis coacta. Sic testis in Judicio dolose falsum jurato deponens, redditur infamis, eique amputantur duo digiti, quos

---

61.) Sic docet SFORTIA PALLAVICINUS lib. 3. De Fide, Spe, & Charitate c. 2. n. 23. seqq. CAROLUS AMBROSIVS CATTANEUS Legioni Sacre tom. 1. Lez. 44.

62.) CATTANEUM impugnavit AUGUSTINUS ORSI. Utrunque scripta referuntur apud Trivultienses ad annum 1729. mense August. art. 80. 81. Item ann. 1730 Novemb. art. 102. & Decemb. art. 110. 111. 112. Acriter CATTANEI & aliorum sensa refutat DANIEL CONCINA tom. 3. in Decalog. lib. 5. Disfert. 3. cap. 10. seqq.

quos in praestatione juramenti erexit 63.). Pejerans in causa criminali incurrit poenam talionis, quando proceditur per viam accusationis 64.). De Jure Canonico ejusmodi falsus testis fit infamis; Clericus deponitur, detruditur in carcerem &c. 65.).

§. 397. *Scripto* committitur falsum, *Falsum* praecipue a Notario, qui vel conficit *scripto* Instrumentum falsum, vel in testamento *commis-* to contra mentem testatoris alicui ad-*sum*: scribit legatum, fideicommissum &c. Falsi reus est omnis ille, qui per falsa attestata pecunias colligit; qui signata acta Judicialia 66.), obsignatas literas, vel vivi testamentum aperit, testamentum amoverit, celaverit; qui alienam imitatur manum, instrumentum immutat, radit, in fraudem aliorum: in judicio autem nunquam impune produci potest instrumentum falsum, etiamsi nullum exinde damnum eveniret aliis 67.). Nam  
ejus-

---

63.) Const. Crimin. art. 107.

64.) Ibid. art. 68.

65.) C. 7. dist. 50. C. 9. III. q. 5.

66.) C. 33. de offic. Jud. deleg.

67.) COVARRUV. Var. Resol. lib. 1. c. 2.  
n. 3. LAYMANN Theol. Mor. lib. 3. tr.  
3. part. 1. c. 4. n. 3.

ejusmodi falsationes Reipublicæ perniciosæ esse solent: quamvis igitur non violetur particularis justitia, peccatur tamen contra veritatis virtutem cum Reipublicæ perniciæ. Unde censeo, artificiosos imitatores antiquorum Diplomatum non potuisse excusari ex causis alibi allatis 68.). Singularibus pœnis excommunicationis, degradationis &c. afficiuntur falsificantes Literas Apostolicas, vel ejusmodi falsas Literas non destruentes 69.).

*Falsum  
facto  
commis-  
sum,*

§. 398. *Facto* vel *Usu* committitur crimen falsi per innumeras malas artes, quas recensere superfluum esset. Lege Cornelia coercentur, qui lusus prohibitos exercent, & fraudes adhibent, 70.); qui nomen falsum in fraudem tertii simulant 71.); qui  
alic-

68.) *Señt. I. de Judic. Civil. §. 343.*

69.) *C. 5. 6. 7. de Crimine falsi*, ubi enumerantur modi falsandi has Literas, vel deprehendendi falsificationem.

70.) *SCHILTERUS PRAX. Jur. Rom. exercit. 49. §. 138.* refert judicium Scabinorum, qui fraudulentò lusori præter pœnam virgarum dictabant oculorum effusionem, nisi singularis gratia ei fiat.

71.) *L. 13. pr. ff. de Leg. Corn. de fals.* mutare autem nomen vel cognomen &c.

aliena sigilla vel insignia, alterius decipiendi causa usurpant; qui falsis mensuris, ponderibusque utuntur; qui aromata, merces, vinum, aliasque res fluidas corrumpunt; qui lanas aut pannos tinctoria adulterina fucant; qui multo ære alieno conflato, ex culpa sua ad incitas rediguntur, qui partum alienum subjiciunt; qui clavibus adulterinis utuntur 72.). Singulares tamen poenas meretur hoc crimen, si committitur circa Monetam, vel quoad materiam, vel quoad formam, vel quoad pondus earum. Cum enim jus cudendi Monetam juribus Majestatis connumeretur; ideo adulterantes Monetam, crimen læsæ Majestatis committere dicuntur 73.).

Certe

---

ne aliqua fraude, licet. L. un. C. de mut. nominis. Fictionem prorsus singularem, qua quis mariti absentis personam mentiebatur, & ab uxore plane decepta per plures annos admittebatur, refert JOAN. CORASTUS, & sententiam Parlamenti Tholosani annotationibus illustrat, quas latine interpretatus est & edidit HUGO SURÆUS,

72.) De clavibus adulterinis eruditum discursum exhibet CLAUDIUS EXPILLY plaidoyé 26.

73.) L. 2. C. de fals. monet. Si quis tamen

Certe multas & inextricabiles parit lites mutatio Monetæ, etiam autoritate Principis facta: multo magis depravatio Monetæ a privatis clam facta turbabit tranquillitatem commerciorum & commoditatem contrahendi cum exteris: nummus enim mensura debet esse, ad quam omnia commensurantur: mutata autem, vel turbata rerum mensura, omnia reliqua mutari & turbari necesse est.

*Circa materiam monetarum,* §. 399. Ratione materiæ committitur hoc crimen, quando ex vitiosa materia fabricatur Moneta; vel quando bonæ materiæ, scilicet auro & argento admiscetur plus æris, stanni &c. 74.). Ejusmodi fraudes jam apud veteres Romanos in usu erant: reperimus enim nummos antiquos ferreos, subtili Lamella argentea tectos: Ad detegendas has fraudes inventi fuerunt nummi serrati, incisis per extremum marginem crenis, ut interiores nummi partes inspicere possent. Item inventi sunt nummi bracteati, cusi

---

totum formare noluerit, suffragio justæ poenitentiaæ absolvitur. L. 19. pr. ff. de Leg. Corn. de fals.  
74.) L. 9. ff. de Leg. Corn. de fals.

cusi potissimum in Germania, qui sunt tenuissimæ bractæ argentæ, ob ipsam tenuitatem suam non admittentes typum, nisi ex una parte; in his vix poterat habere locum adulteratio, quin facile observaretur. Fabricantes & expedentes Monetam ratione materiz falsam, præter confiscationem bonorum, puniuntur ignis supplicio 75.), sive forment Monetam Imperatoris, sive aliorum Principum Imperii; nam hodie in Imperio Germanico omnis Moneta censetur esse Imperii, & Imperatoris, cujus auctoritate omnes Monetæ cuduntur. Qui autem nummos ab aliis fabricatos exponunt, vel cudunt solummodo nummos minimos, solent mitius puniri; nisi percutiantur tales oboli plurimi, & iteratis vicibus, quia idem damnum Reipublicæ sequi potest, præsertim cum Leges non distinguant inter majores & minores nummos 76.). Ordinaria tamen poena locum non

---

75.) Ibid. & Constit. Carol. art. III.

76.) Bossius tract. crim. fol. 387. narrat. quod ex Consilio aliquo Alexandri, qui docet, statutum loquens de Moneta, non habere locum in minima, exemerit

non habebit, si oboli ærei, qui sunt minimi pretii absque autoritate eudantur; cum Leges semper loquantur de nummis aureis & argenteis 77.). Similiter mitior pœna dicitur potest iis, qui ex falsa materia fabricant nummos, Regum aut Principum extraneorum nomine insignitos: nam pœna ignis præcipue infligitur ob crimen læsæ Majestatis, quod non committitur nisi a subdito. Recentiora Edicta Monetalia pœnas statuunt pro qualitate delicti corporales, capitales, vel quoad bona 78.).

*Ex auro*  
*Chemico:* §. 400. In Jure Canonico varii modi falsificandi Monetas recensentur, adjecta excommunicationis pœna, quæ merito extenditur ad alias Provincias; quamvis enim sermo sit de Regno Franciæ, afficit tamen etiam alia Regna, postquam Constitutio illa inserta est Juri Communi 79.). A. libi

---

a morte duos, qui eudebant quadrantes.

77.) Vid. CEPOLLA Consil. Crim. 78.

78.) Ordinatio Monetalis FERDINANDI Imperatoris anno 1559. & sequentes Recessus Imperii.

79.) Extravag. un. JOANNIS XXII. tit. 10.

libi autem 80.) Constitutio Pontificia singulariter invehitur in illos, qui Monetas cudunt ex auro arte Chemica facta. Dicunt aliqui, nummos aureos, quos Rosatos Nobiles (Rosatable) nominamus, in Anglia primum cufos esse ex auro Chemico, quod fecisse traditur RAYMUNDUS LULLUS, cujus opera etiam pilas æneas, in atrio Regis Britannia affervatas, in aurum conversas esse narrant. Fabulam magis exornant dicendo, Raymondum ingentem auri sua arte confecti summam dedisse EDUARDO III. Regi Anglia pro expensis ad recuperandam terram sanctam impendendis. Tradunt autem Scriptores Angli 81.) EDUARDUM III. primum fecisse nummos aureos. Si igitur RAYMUNDUS aurum a se confectum reliquisset, ex quo Rosati Nobiles ab EDUARDO Rege cufi dicuntur, certe ex illo auro conflatus esset Rosatus Nobilis, quem præ oculis habeo, insignitus nomine & Insignibus EDUARDI, cujus ætatem

I i pro-

80.) Extravag. un. inter commun. de Crim. Falsi.

81.) GUILIELM. NICHOLSON relatus en Memoires de Trevoux anno 1710, mens. Septembr. art. 128.

prodit etiam forma Literarum. Hic autem Nummus ex probatissimo auro confectus videtur, superatque pondus duorum Ducatorum Hungaricorum; accurate æquans quartam partem unciz, cujus ponderis ac bonitatis fuerunt solidi Romani, tempore primorum Imperatorum, uti ex Wendelino in Glossario Salico, advertit EC-CARDUS 82.), & a proprio experimento ostendit Guiliel. Budæus 83.). RAYMUNDUS obiisse scribitur anno 1315. duodecim annis, antequam EDUARDUS ad regnum pervenisset, quod factum esse dicitur anno 1327. Unde RAYMUNDUS cum EDUARDO tractare non potuit de recuperatione terræ sanctæ. Ex hac computatione tem-

---

82.) Ad Legem Salic. tit. I. fol. II.

83.) De Assē lib. 5. ubi testatur, se nummos aureos vidisse omnium Imperatorum ab Augusto ad Commodum Cæsarem, & singulos habuisse pondus quartæ partis unciz, ita ut nummi quadraginta octo æquarent libram. Posteriorum Imperatorum, Constantini & Justiniani tempore ita minutum erat pondus, ut duo & septuaginta nummi aurei æquarent libram. Videatur FRANC. HOTOMANUS de Re Numaria m. fol. 341. & de Aureo Justiniano fol. 375. seqq.

temporum, & aliis fortissimis argumentis fabula de arte Alchymistica RAYMUNDI exploditur 84).

§. 401. Ratione formæ crimen falsi committitur in moneta, si fabricatur absque privilegio Cæsareo, si imponatur signum alienum, si adimitur justum pondus, si resolvitur moneta grandior. Hæc omnia sunt graviter prohibita, etiamsi materia sit justa & probata: nihilominus tam acerbæ pœnæ non statuuntur his falsificationibus, quales statutas diximus iis, qui falsam adhibent materiam, quia tantum damnum Reipublicæ non infertur, modo materia proba sit.

*Circa  
formam  
moneta-  
rum,*

§. 402. Jus monetandi in Germania, non ex jure territoriali, sed ex concessione Imperatoris dependere recepta est sententia. Privari quidem raro quoad hunc solum articulum delinquent: semper enim lucri majoris studio, materiam auri & argenti alio viliori metallo contaminant; reatum contrahere possent insigniora Imperii

*Cudendo  
sine con-  
cessione  
Impera-  
toris;*

li 2 mem-

84.) Hagiographi Belgæ Act. SS. tom. 5. Junii fol. 657. LUCAS WADDINGUS Annual. Minor. tom. 6. novæ edit. ad ann. 1315. N. 13. seqq. BRUCKER Hist. Crit. Philos. tom. 4. f. 13.

membra, uti contraxit nobilis quædam civitas, cui anno 1629. ob jus monetandi absque privilegio Cæsareo usurpatum, multa mille thalerorum dictata fuit (85). Jurato promittit Imperator (86.), se novum monetandi privilegium nulli concessurum absque præscitu & consensu Electorum, & prævia informatione illius circuli, in quo est ille, cui hoc privilegium esset concedendum.

*Impri-  
mendo  
signum  
alienum;*

§. 403. Similiter arbitrariæ pœnæ subjacebunt illi, qui monetæ probè imprimunt signum alienum. Imperatores Græci passim aureis nummis imprimebant figuram Crucis: multa talia numismata aurea reperta fuerunt in reparatione Ecclesiæ Lateranensis sub Sixto V., qui ea multis Indulgentiis locupletata misit ad Imperatorem, Reges ac alios Principes, eos adhortando, ut ad similem virtutis & religionis laudem excitentur, & se Ecclesiæ Romanæ filios, Catholicorum Principum Successores, & Cru-

85.) Vid. CARPZOV. præf. crim. p. 1. §

43. n. 24.

86.) Capitul. JOSEPHI II. art. 9.

Crucis Christi defensores esse crebrius  
reminiscantur 87.)

§. 404. Graviter puniuntur, qui *Adimen-*  
*monetis* justum pondus adimunt *ra-*  
*do ju-*  
dendo, excoquendo, circumciden-  
*stum pon-*  
do 88.), imo etiam adimentes pon-  
*dus.*  
dus iis nummis, qui commune pon-  
dus excedunt 89.): nam excessus  
communis quantitatis pertinet ad ju-  
stum pondus intuitu illius Principis,  
qui tale majus pondus determinavit.  
Sic pondus Monetæ in Germania so-  
let communiter statui juxta Marcam  
Coloniensem: in quibusdam autem  
Provinciis pondus Monetarum non-  
nihil superat Marcam Coloniensem.

113

Pius

87.) Bullar. tom. 2. Sixti V. Const. 73.

88.) L. 8. ff. de leg. Corn. de falsis. In hac  
lege usurpatur vox *radere*: radi autem  
dicitur superficies plana; circumcidi  
ejus circumferentia. Unde Titulus Co-  
dicis Theodos. Si quis solidi circulum  
exteriorem inciderit &c. Byzantii Ale-  
xandrum quendam vocabant *Ψαλιδιον*,  
id est forficulam, quia perquam scite  
nosset circulum solidorum adradere, ut  
narrat PROCOPIUS de Bello Gothic. lib.  
3. Vid. GOTHOFRED. ad cit. tit. Cod.  
Theodos. CUIJACIUS l. 19. Obs. 25.

89.) Oppositum tenet ALCIATUS Respon-  
sor. lib. 7. Conf. 14.

Pius V. Pontifex 90.) supponit, tonsores aureæ Monetæ ultimo supplicio puniri, minori autem poena affici tondentes monetas argenteas: ipse tamen iudicans, par esse utriusque delictum, & qui argenteas minuunt, nulla alia de causa ab aurearum mutilatione, nisi ob earum defectum abstinere, ac propterea eodem juris rigore procedendum; statuit eos, qui argenteas tondent monetas, ultimi supplicii poena puniendos esse, scilicet in terris Pontificiis. Hanc Constitutionem URBANUS VIII 91.) extendit ad omnes personas Ecclesiasticas in Italia existentes, qui aureas vel argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel alias adulterare, aut adulteratas scienter erogare, aut exponere praesumpserint: vult autem Pontifex, ut culpabiles praevia degradatione, Curia seculari puniendi tradantur.

TITU.

90.) Bull. tom. 2. Const. XII.

91.) Const. 75. anno 1627.